Q. F. F. Q. S.

DISPUTATIONEM INAUGURALEM DE SALARIO ADVOCATORUM

PERMISSU
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
IN
ILLUSTRI GIESSENA
HASSORUM
PRO LICENTIA
CAPESSENDI SUMMOS IN UTROQUE
JURE HONORES
PUBLICO
EXCELLENT. DNN. PROFESSORUM
EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES GEORGIUS BÖRNER,
DRESDENSIS MISNICUS.

DIE 3. OCTOBR.
HORIS LOCOQUE CONSUETIS.

Ex Chalcographéo Acad. Ord. Kargeriano. *Anno* M DC LXXVIII.

PROOEMIUM.

CVm suasu & jussu Summorum Virorum, quibus morem non gerere nefas est, supremos in utroq; jure Honores legitimo & in Academiis hactenus recepto more ambire constituerim, materiam Salarij Advocatorum, *loco Disputationis Inauguralis, publicè ventilandam elegi, practicam illam quidem & in foro tritam, à difficultatibus tamen, quæ Historiam æquè Romanã ac Iuris Theoriam sapiunt, non usq; adeo immunem. Has paulo dilucidius proponere & examinare, uti minus à Vita Practicâ, quam per integrum octennium & quod excurrit, vale Academiis dicto, vivo, abludit; Ita non inutilem hanc fore materiam credidi, nec forte injucundam. Ignoscet tamen* Benevolus Lector *superfunctorio quadantenus labori nostro; Propter enim occupationes publicas & forenses quam plurimas, materiæ dignitatem non semper attingere, multo minus exhaurire licuit. Quamobrem uti hâc operâ fere tumultuaria ego cogor, ita ut lector eâ benevolè contentus esse velit, etiam atq; etiam rogo.* Faxit verò Deus, ut & hæc cedant feliciter!

CAP. I.

De Nominibus & Definitione Salarij Advocatorum.

§. I.

ADvocatus Latinis ex eo dicitur, quod advocatur in consilium & auxilium laborantibus, juxta Cujac. *in parat. Cod. de Advoc. divers. Iudic.* Christin. *decis. Belg. vol. 2. Decis. 99. n. 2.* & alios. Dum enim ambigua fata causarum dirimit, suæque defensionis viribus in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigit, fatigata reparat *l. 14. C. de Adv. divers. judicior.* recte dicitur ope & Consilio adesse læsis Clientibus. Quamvis enim nonnulli cum Hoppingio *Dissert. de jure Protect. th. 15. lit. A.* à Græco βοηθέω, quod idem est ac opem fero, patrocinor, unde & βοηθὸς, Adjutor, vocem derivare velint; Nonnulli vero originem planè Germanicam, dum à Germanico Vogt / descendere dicunt, cum Besoldo *Discurs. de jure Fœder. c. 5. n. 7.* aliisq; eidem adscribant, quanquam viceversa Goldastus German. Vogt ab Advocato

vocato deducit in *Tom.2.Rerum Alemann.fol.214. & seq.* Hæc tamen,ut ut maximè procederent, de Advocato Tutelari,de quo agere nostri non est instituti, intelligenda essent. Interim negari nequit, diversas has derivationes ita convenire significatione, ut insignis aliqua differentia,linguæ diversitatem si demas, non appareat.

§.2. Dum Advocati Tutelaris mentionem feci, eo ipso innui, non unam Advocati significationem occurrere. Sunt vero potiores hæ: (1.) sumitur pro *Patrono* Ecclesiæ *in cap.cum autem 24. X de jure Patron.* add Jac. Gothofred.*ad l.38. C.Theod.de Episc.& Cl. & ad l. 46. Cod. Theod. de Decurion.* Unde etiam Imperatores Romani in Capitulationibus *art.* 1. promittunt: Daß sie die Christliche Kirche als derselben Advocat in guten Befehl und Schirm haben wollen; Imò pro protectore in genere, qui jus Clientelare sive Protectionis habet, unde & Advocatia Armata die Schutz- und Schirms-Gerechtigkeit/ & Protectores ipsi, Advocati Tutelares Schutz-Herren appellantur, de quo latè Magerus in egregio Tractatu, quem de *Advocatia armata* inscribit, est occupatus, add.Besold.*in Discurs. de jure Fœderum.* (2.) late accipitur pro *Procuratore* seu eo, qui negotià in foro perorat *l. 11. inf. C. de Advoc. divers. judic.* quales sunt qui hodiè in Camera Imperiali & aliis Judiciis Inferioribus Procuratores dicuntur. Differtn. alias longè advocatus â Procuratore; Ille Personas suscipit, hic negotia; Ille susceptum habet & Clientem, hic Principalem & Dominum; Ille causam instruit,& jura suggerit, hic perorat & negotium in lite versans gerit;ille magis agit calamo, hic ore; In illo peritia juris,in hoc peritia styli requiritur; ille colludens cum adversario de prævaricatione *l.1. C.de advoc. divers.Iudic.* hic actione mandati tenetur *l.10. C. de Procur.*

curat. uti has & alias differentias videre est apud Hilliger. *in Donell. Enucl. lib.* 18. *c.* 3. *lit.* O. Vultej *ad pr. Inst. de Action. n.* 30. Christinæum *in decis. Belg.* 99. *n.* 8. *Vol.* 2. Carpz. *de Process. tit.* 5. *art.* 1. *n.* 8. *seqq.* Brunnem. *de Process. Civ. cap.* I. *n.* 69. (3) Vox Advocati propriè accipitur, pro *eo qui jus suggerit*, causam instruit, merita controversiæ pandit & in consilium à parte advocatur, *l.* 6. §. 1. *C. de postul. l.* 11. §. 1 *C. de Advoc. div. Judicior.* Bachov. *ad τὰ πρῶτα tit. de postul. n.* 1. Speckhahn *Cent.* 1. *qu.* 69. Bouric. *de Advoc. c* 1. *&* 2. & celeberrimus Germaniæ JCtus Magn. Dn. Procancell. Strauchius, Patronus noster. *Dissert. Justinian.* 23. *th.* 19. quales hodie sunt Advocati Camerales, qui Disputationes forenses, quas Producta vocant, instituunt. Ordin. Cam. *part.* 1. *tit.* 19. §. Nachdem sich 2.

§. 3. Advocati varia à Dd. compilantur Synonyma, uti videre licet apud Mattham *de Jurisdict. part.* 4. *Cent.* 2. *cas.* 115. Christinæum *Decis. Belg.* 99. *n.* 4. *Vol.* 2. Coll. Jur. Argent. *de postul. n.* 19. Dicuntur enim Causidici, Oratores, Patroni Causarum & Litium, Togati, imo Togæ ipsæ *l.* 7. *C. de advoc. divers. judicior.* & apud Cyprianum *Epist.* 1. uti verba illius allegat Brummer. *ad L. Cinciam cap.* 9. *in fin.* perinde ut Advocationes *l.* 30. *pr. C. de pact. l.* 12. *C. de legit. her. l.* 27. *pr. C. de Fidejuss. l.* 23 § *fin. ff. Ex quib. caus. major.* vocibus utrinque concretivè sumtis audiunt. Vocantur & Scholastici *l.* 7. *C. de lucris Advoc. lib.* 12. latè Jac. Gothofr. ad *l.* 2. *Cod. Th. de Concuss. Advoc.* subintellige Defensores, uti habet Canon 79. Codicis Africani ex Conc[illegible] Carthaginensi apud Laudatum Gothofred. *d. l. & ad l.* 38. *C. Theod. de Episc. & Cler.* Haud obscurè vero patet, multa horum Synonymorum, quemadmodum & inter vocem Patroni & Advocati olim, docente Cujacio in *parat. Cod. de Advoc. div. Jud.* & Magnif.

Strau-

Strauchio *d. l.* differentia erat; non minus ad Procuratores quam Advocatos propriè dictos spectare.

§. 4. Advocati nomine evoluto ad vocem Salarij progredimur; Ea verò optimè cum Jacobo Gothofredo *Tract. de Salar. c.* 1. §. 4. & Franc. Stypmanno *de Salar. Cler. cap. 2. n.* 2. à Sale, tanquam potiori vitæ humanæ condimento derivatur, quod percipientes Salaria inde se alant, adeoque tàm sit necessarium, quam homini sal est. Calepin. *in lex. voc. Salar.* Quo faciunt verba Plinij *lib.* 31. *c.* 7. dum dicit: Honoribus militiæque sal interponitur, salariis inde dictis. Nec abludit Germanicum Besoldung/Unterhalt/ juxta Stypmannum *de Salar. Cler. c.* 2. *n.* 32. *&* 34. Unde etiam Salmasius *in Notis ad Capitolin. p.* 160. *lit. D.* putat; Salarium propriè denotare ea, quæ esui potuive sunt.

§. 5. Dicitur enim vox salarij etiam variè: specialiter (1.) denotat uti dictum, ea, quæ esui potuiq; sunt, ut multis docent Stypmannus *de Salar. Cleric. c.* 2. *n.* 7. *seqq.* Jacob. Gothofred. *de salar. c.* 1. *th.* 3. *lit. F.* (2.) Id quod citra laboris alicujus aut operæ compensationem alicui tuendi exhibendique sui gratiâ erogatur *l.* 8. §. 23. *ff. de Transact. l.* 21. *ff. de in rem verso. l.* 19. §. *fin. de ann. legat.* (3.) Reditus Episcopij vel Monasterij *can. quisquis* 19. *in pr. caus.* 12. *quæst.* 2. (4.) Erogationem pro remuneranda opera digniori non locari solitâ sive sumtâ sive sumendâ *l.* 7. *Mandat. l. ult.* §. 1. *de. O. & A. l.* 16. §. 1. *de Alim. leg.*

§. 6. Dicitur vero Salarium aliis quoq; nominibus (1) Merces; *l.* 6. *C. de Prof. & Med.* Jacob. Gothofred. *de salar. c.* 1. *th.* 2. *lit. A.* Stypmann. *de salar. Cleric. cap.* 2. *n.* 28. à quâ tamẽ in eo imprimis differt, quod merces propriè in operis locari solitis, id quod unde cognosci possit, Hahn. *ad Wesenbec. n.* 2. *inf. loc. cond.* & Brunnem. *ad l.* 5. *ff.*

d. P. V.

*de P.V.n.*3.docent,conſtitui ſoleat,ſalarium vero in non-mercenariâ operâ eaq; digniore, & quæ potius animo quam corpore expeditur,obtineat,unde etiam ſibi contradiſtinguuntur *l.* 38.*locat.l.* 4.§.2.*de decret.ab ord.fac. add.l.*1.*pr.ff.ſi menſ.falſ.mod.*(2)Honorariū *l.*38.§.1.*ff.loc. l.*1.§.10.*&* 11.*ff.de Extr.Cogn.l.*5.*C.de poſtul.& paſſ.*quamvis in eo differre videatur â ſalario, quod hoc Conventione,illud absque eo fieri ſoleat, & quod quibusdam, ut ſupernumerariis Advocatis,fuerit conceſſum honorarium non vero ſalarium, quanquam Statuti ut dicuntur *l.*13.*C.de Advoc.div.Iudicior.* præter honoraria & ſalarium habuerint. Vid.Brumer. *ad L. Ciciam c.* 10.*p.* 242. (3) Stipes vel ſtipendiū *l.*6.§.5.*C.de Poſtul.* Stypmann. *de ſalar.Cler.c.*2.*n.*15.quod vero in eo differt â ſalario,quod ſtipendium propriè militum ſit ſalarium per *l.* 27.*ff.de V.S.*unde etiam contradiſtinguuntur in *l.*52.§.8.*ff.pro ſocio.* (4) Compendium in *l.*5.*&* 6.§.5.*C. de poſtul.* (5.) Solatium *l.*15.§.1.*C.de advoc.diverſ.judicior,l.*3.*in pr.&* §.6.*l.*5 *pr.C. de Advoc.diverſ.judic.*

§.7. His ita præmiſſis ſalarium Advocati deſcribimus: Quod ſit *Merces quadam,qua Advocato,pro Conſilio & opera præſtitâ,præſtandave in compenſationem & remunerationem,ipſa æquitate & Iuſtitia ſuadente conſtituitur.* Generis loco vocem *Mercedis* pono, tùm quod Naturam Salarij maximam partem bene explicet, tùm quod hæc vox etiam in *l.*6.*C.de Prof.& Medic.*& alibi pro Salario ponatur, tum etiam ad exemplum celeberrimi JCti Jacobi Gothofr.qui in *Tr.de Salar.c.*1.*th.*1.2.3.4.5.*& paßim.*tantum non pro iisdem habet.Sed quia mercedis vocem in operis locari ſolitis imprimis adhiberi diximus,atq; iis propriè conſtituitur merces, qui quæſtuariam vel ſellulariam exercent artem,itaq; ad imitationem

Impe-

Imperatoris Justiniani in definitione legati *§. 1. Inst. de legat.* vox *quadam* est adjecta, ut improprietatem vocabuli *mercedis* quodammodo mitiget, quamvis reliqua definitionis verba, differentiæ loco posita, satis de cœtero doceant, quomodo vox mercedis in eâ capiatur.

CAP. II.

De Causa Efficiente, & qui Salârium Advocati constituunt.

§. 1.

Quanquam olim gratuitum omnino videtur fuisse Patrocinium, uti facit locus apud Ciceronem *lib. 2 de Offic. Diserti hominis & facilè laborantis, quodq́; in patriis est moribus, multorum causas & non gravatè & gratuitò defendentis beneficia & patrocinia latè patent.* Et apud Quintilianum *lib 12. Instit. Orat. cap. 7. Existimabant longè honestissimum & professione sua dignissimum non vendere operam, nec elevare tanti beneficii autoritatem, cum pleraq́; hoc ipso vilia possint videri, quod pretium habent.* Imo postea lege Cincia prohibitum, *ne quis ob causam orandam pecuniam donumve acciperet*, uti testis est Tacitus *l. 11. Annal c. 5.* quam ipsam legem D. Augustum postea confirmasse & statuta pœna perfectiorem reddidisse Autor est Dio *l. 54.* adde Tacit. *l. 13. Ann. c. 42.* Quia tamen ita sæpè eveniebat, ut quis inopia Advocatorũ obnoxius esset potentioribus, & præterea iniquum erat omittere curas familiares & alienis negotiis intendere operam, uti est apud Tacitum *lib 11. Annal. c. 7.* sed potius operarius dignus sit sua mercede, uti cum Apostolo loquitur Magonius *de rect. patroc. rat. c. 8. n. 4.* Itaque non tantum statim Claudio Imperante lex illa Cincia est emendata ita; ut honoraria quidem Patronis Causarum accipere concel- Caus. Eff. Remota.

ſum, ſed modus capiendis pecuniis *ad dena ſeſtertia*, ſive 250. aureos, uti Docti computant, poſitus fuerit, teſtante Tacito *d. l.* Ad quam ſummam ex Oratione etiam Optimi Imperatoris Trajani honorarium capere licuit, teſte Plin. *in Epiſt. ult. lib.* 5. quanquam peractis demum negotiis; ante enim negotium & juramento cavere jubebantur ij, qui quid habebant negotii, nihil ſe ob Advocationem cuiquam dediſſe, promiſiſſe, caviſſe; aſſerente id eod. Plinio. *d. l.*

§. 2. Poſtea ubi rerum ſumma apud Impp. Orientis fuit, non tantum honoraria Advocatis accipere licuit, *l.* 4. *C. de Adv. div. Iudic.* ſed & ea ad 100. usque aureos *l.* 1. §. 12. *in fin. de ff. Extr. Cognit.* per Executores negotiorum ab iis, qui dare poterant, exigere conceſſum. *l.* 13. §. 9. *in fin. C. de judic. add. l.* 6. §. 3. *C. de poſtul.* ita ut Clientes etiam ante litem finitam dare debuerint *arg. d. l.* 13. §. 9. *in f.* quibus etiam juramentum â Trajano præſcriptum quoad honoraria Advocatorum remiſſum eſt per *Nov.* 124. *cap.* 1. Quemadmodum & tempore Impp. Romano-Germanicorum honoraria Advocatis æque ſunt conceſſa, uti videre eſt ex Conſtitutione Friderici II. apud Lindenbrogium in *Cod. legum Antiquarum lib.* 1. *Conſtit. Sicul. tit.* 53. *& part.* 1. *Ordin. Cam. tit.* 46. Unde & de jure Canonico Advocato vendere licet Patrocinium *can. non licet* 71. *c. n. quaſt.* 3. *& can.* 15. *c.* 14. *quaſt.* 5. cum nemo ſuis ſtipendiis militare teneatur *c. cum ex officij* 16. *X. de Præſcription.*

§. 3. Non ſolum vero honoraria tum accipere licuit, ſed & per multa ſecula ſalaria publica nonnullis decreta ſunt. In jure noſtro ii habebant, qui Statuti vocantur. Erant enim Advocati vel Statuti vel Supernumerarii *l.* 11. *&* 13. *C. de Adv. diverſ. judicior.* Illi dicebantur

qui

qui intra numerum, & matriculæ certi cujusdam fori, ut Præfecti Prætorio, Præsidis Provinciæ &c. inscripti erant *l.13. & l.ult.C.de Adv.div.judicior.* quorum 150. Præfecturæ Orientis *l.8. & l.n.C.eod.* & totidem Præfecturæ per Illyricum Advocationem concludebant *l. ult. C. eod.* quemadmodum fori Alexandrini numerus quinquagenarius *l.13.C.de Advoc.divers.judic.* & fori præsidialis Syriæ tricenarius erat *l.5.pr. C. de Adv. div. judic.* Hi vero seu Supernumerarij, qui nullum habebant Salarium, sed honoraria tantum ipsis accipere permissum erat, nulli certo foro erant adstricti, sed uti Ammianus Marcellinus loquitur, per fora omnia volitabant. Statuti erant vel Advocati Fisci vel alii. Utrique lege constituta habebant salaria, & Advocati quidem Fisci paulo ampliora *l. 7. §. 4. & l.4.§.1.C.de Adv. divers judic.* Mediocria vero reliqui, & quæ in annonis plerumq;, veluti vino, oleo, pane, carne & sale consistebant. Vid. Brummerus *ad leg. Cinc cap. 10.p.143. add. l.2. Cod. Theod. de Concuss. Advoc.* Jacob. Gothofr. *de Salario c.3.th.*11.

§.4. Ad exemplum Romanorum idem quoq; permansit in Republica Romano Germanica. Unde non solū in Camera Imperiali, sed & apud Status Imperij Fisci Advocatis, imo & aliarum Causarum Patronis, utpote Advocatis Pauperum, quod causas egenorum agant & tueantur Vid. Wesenb. *in parat. n.3. de Postul.* Gothofr. *de salar. c.3.th.*11. qualem etiam Serenissimus Archi-Princeps Elector Saxoniæ in supremo Appellationum Judicio constitutum habet, sive lege sive Imperantis arbitrio salaria publica dantur; quemadmodum & Privatis Patronis suis, uti honoraria, ita & Salaria constituere permissum est.

§.5. Constituitur ergò Salarium Advocati ab

Cauſ. Eff. Prop.

omni, qui liberam rei adminiſtrationem habet, & quidem vel â perſona publica, ſive Clerica ſit, ſive Laica, ſive Princeps ſive alia, penes quam eſt τὸ κύριον Reipubl. ſive etiã Magiſtratus Municipalis ſit; vel etiam â perſona privatâ, Vid. Jac. Gothofr. *de Salario c.2. th. 7. ſeqq.* Quoad eum, qui rei ſummam tenet, res in aprico eſt, & textus juris hactenus allegati id ſatis ſuperque evincunt. De Magiſtratibus vero Municipalibus dubitatur. In *l.* enim *un. C. de prab. ſalar.* dicitur, nulli eſſe concedendũ Salarium, niſi ei, qui jubente Imperatore ſpecialiter ſit conſecutus; & Jac. Gothofr. *cap. 2. th. 8. lit. E. de Salar.* & hodiè, *inquit*, obtinere, quod Civitas ſub Principe conſtituta non poſſit conferre officium, quod annexum habeat Salarium, licet ſit parvum, ſed ſolus Princeps. Cujus ſententiæ hanc allegat rationem Menoch. *de Arbitr. Judic. lib. 1. q. 46. n. 1.* Ne ſequatur læſio Reipubl. Facile enim eſſe conſtituere Salaria atque ea, quæ juris communis ſunt erogare, quem etiam in finem adducit *arg. l. officium 9. §. 1. ff. de R. Vind.* Et licet interdum contingat, quod illa Salarii Conſtitutio utilis publico eſſe poſſit, tamen propter commodum fortuitum damnum certum, quod per erogationem Salarij fiſco infertur, ferendum nõ videtur, juxta Bartol. *ad l. 1. C. de prab. Salar.* adde Bald. *in Conſ. 264. lib. 3* incipit: *qui fervore n. 2.* Menoch. *de Arbitr: jud. lib. 1. qu. 46. n. 2.* Sed quia Decuriones ſeu Magiſtratus Municipales ex juribus ſui municipij Salaria conſtituere poſſe dicũtur, in textu expreſſo *l. 4. §. 2. de decret. ab ord. ff. fac. add. l. 16 §. 1. de Alim. & cib. leg.* Et quæ hactenus in Contrarium ſunt adducta, limitationem patiuntur in eo, ſi Salarium ob artem liberalem, uti eſt Salarium Advocati, eſt conſtitutum *d. l. 4. & ibi Dd. ff. de decret. ab ord. fac.* & cauſa Conſtitutionis, uti eſt in caſu noſtro, jure Communi

muni approbata est, quam rationem allegat Menoch. *d.l.n.3.* maximè cum conveniat, ut Magistratus illi probitatem & peritiam eorum eligant ipsi, quibus causas suas suiq; municipii committant. *arg: l.1. ff de decret. ab ord. fac.* Petr: Gregor. *Synt. Jur. Civ. lib. 18. cap. 14. n.3. seqq.* Imò talibus Magistratibus, Legatis & Oratoribus Principum, qui ad eorum Civitatem accedũt, inspecta personarum & Civitatis qualitate *l. jubemus 14. in pr. vers. scientes C. de SS. Eccl. l. cum plures 12. §. penult. ff. de Administ. tut.* donare, quod tamen per *l.7. pr. ff. de donat.* est perdere, sit concessum Bartol. *ad. l 1. C. de praeb. salar. n. 2.* quem sequitur Menoch. *d. Arbitr. Jud. 1. q. 46. n. 5.* & Civitati Principi subditæ ob bene merita immunitatem largiri liceat, secundum Felin. *ad cap. accedentes 11. n.8. circa. fin. conclus. 9. X. de praescript.* Tiraquellum *ad l. si unquam,* in verbo, *Donatione n.32. C. de Revoc. donat.* Quid? quod, potissima quæ mihi ratio videtur, Advocatum habere, ad lites in foro expediendas & causas orandas, ad administrationem spectet *arg. l.28. C. de administr. Tut. & t.t. C. de Act. á tut. seu Curat.* Unde etiam Tutor vel Curator pupillo vel minori honoraria Advocatorum & alias litis impensas recte imputat *arg. l. 9. §.6. ff de admin. tut. l.78. §.2. ff. de leg.* 2. Itaque recte concludimus & Magistatus inferiores si liberã publicæ rei administrationem habent, Advocatis Salaria constituere posse.

§.6. Ex his facile ferri judicium potest de eo: Num Capitulum sede Ecclesiæ vacante Salarium Advocato constituere possit? Quod affirmamus. Habet enim Capitulum vacante sede non tantum administrationem Ecclesiæ, adeoque per jam dicta potestatẽ etiam Advocatum constituendi, sed & rebus Episcopatûs curandis & gubernandis Oeconomum & administratorem præponit,

nit. Gail.1.*Obſ.*30.*n.*17. Imo defunctum Prælatum Principem repræſentat & parem cum ipſo autoritatem habet Gail. *d.l.n.*10. *&* 12. Magn. Ziegl. Affinis Patronus & olim Præceptor noſter piè honorandus *ad Lancellott. lib.* 3. *Tit.* 2.§ 23. *& lib.* 1. *Tit.* 27 §.7. Et Procuratorem, Defenſorem, Syndicum & Actorem conſtituit. Panormit. *in c.* 1. *de Præſcript. & in c.* 1. *n.* 7. *Ne ſede vacante.* Gail. *d.l.* 1. *Obſ.* 30. *n.* 17. Itaque etiam Salarium conſtituere poteſt. *arg. c.* 1. *X. de Synd. l.* 10. § 9. *ff. Mand. l.* 33. §. *ult. ff. de admin. tut.* Jac. Gothofr. *de Salar. lib.* 10. *c.* 2. Obſtare quidem videtur *c.* 2. *X. Ne ſede vacante*, ubi dicitur; Nusquam inveniri cautum in jure, quod Capitulum vacante ſede in Collationibus Præbendarum fungatur vice Epiſcopi; & *Clem. fin. de Procur.* ubi Prælato mortuo, quando Adminiſtratio Eccleſiæ ad Capitulum pervenit, Procurator etiam quoad negotia incepta deſinere aſſeritur. add. Lancellot. *Inſtit. Iur. Can. lib.* 3. *tit.* 2. §. 23. & quod ſede vacante nihil innovandum, *rubr. & t. t. X. ne ſed. vac.* Sed uti ad primum pariter atque ſecundum jam negando reſpondit *Magnif.* Zieglerus ad *Lancellott. lib.* 1. *Tit.* 27. § 7. *& lib.* 3. *tit.* 2. § 23. ita & quoad primum diverſitatem innuit ipſe textus, cum ibi ſermo ſit non de Conſtitutione Salarij, ſed Præbendarum & Eccleſiaſticorum beneficiorum collationibus, quæ longè invicem à ſe ſunt ſeparata. Quoad ſecũdum vero aliud eſt mandatum Procuratoris morte Prælati expirare, aliud quærere: an mortuo Prælato Capitulum Advocato pro expediendis litibus & cauſis Salarium conſtituere poſſit? Cum illius ratio eſſe poſſit, quod mandatum morte mandantis expiret §. 2. *Inſt. de Mand.* Hujus verò ſit adminiſtratio Eccleſiæ & alia ſupra adducta. Neque quod tertium attinet, hic quidquam innovatur, ſed potius id, quod ad rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem

tionem

tionem spectat, omnibus modis, adeoque & Advocati patrocinio per Salarium accersito, intenditur.

§. 7. Nec minus Privati, qui liberam rerum administrationem habent, Salarium Advocato constituere valent; non tantum eam ob rationem, quod suæ quisque rei moderator sit & arbiter *l.21.C.Mand.* Sed & propterea, quod ei, cui est concessa administratio, media quoq; ad eandem necessaria concessa esse debeant. Adeò verò ad administrationem, Præsentia & Patrociniū Advocati requiritur, ut ea sine hoc subsistere sæpe non possit, *arg.l.28.C.de admin.tut.& t.t.C.de Act.à Tut.seu Curat.* Patrocinium vero absque honorario seu Salario esse non debet. *l.4.C de Adv.div.jud.l.13.§.9.C.de Iudic. arg.c.1.X.de Synd.l.33.§.ult ff de Admin.tut.* Hinc facile resolvi potest quæstio: An *P*ater circa Peculium Filijfamilias adventitium Advocatum, & ex eo Salarium ipsi constituere possit? Quod enim peculium adventitium minus plenum, in quo Pater usumfructum habet, concernit, res est extra dubitationis aleam posita, cum *P*ater sit Administrator illorum bonorum adventitiorum legitimus *l.1.C.de bon.mat.l.6.§.non autem 2.C.de bon.qua lib l.ult.§.5.vers.Filiis autem & §.6.C.eod.* Arius *P*inellus *ad l.1.C.de Bon.matern.part.2.n.15.* Bursat. *Consil.133.n.61.* Quod verò peculium adventitium plenum, ubi & Ususfructus apud filium remanet, spectat, hanc quidem difficultatem habet, quod administratio tum temporis vel ipsi filio, vel ei quem peculium dans constituit, vel Curatori concedatur, *Nov.117.c.1.§.1.auth.Excipitur C.de Bon.qua lib.* Coler. *part.2.Decis.226.n.8.seqq.& ibi.* Frideric. *P*ensold. *in not.* Unde etiam ipse Filius de illo peculio agit & excipit in Judicio *l.ult.inf.pr.C.de bon.qua lib.* adeoque *P*ater non videtur habere potestatem dandi Advocato *S*alarij. Quia tamen

à ne-

à negatione usus fructus bonorum adventitiorum ad negationem administrationis non valet consequentia, *arg l.12.§.1.ff.de Acq.Poss l.20 ff.de Minor.*Bursat. *Consil.* 133 *n.*39.*&* 40. Cum illius planè diversa causa esse possit, ab omni suspicione versus *P*atrem remota; Deinde tùm demum in ejusmodi Bonis Curator datur, si *P*ater ipse administrare nolit *l.ult.*§.1.*vers.nolente autem C. de bon. quæ lib.* Deniq; in Castrēsi quoquè peculio patri bona filii furiosi, quem in potestate habet, administrare licet, *per l.ult. in pr. C. de Curat. Furios.* uti benè hæc deducit Hartm.*P*stor.*lib.*4.*qu.*11.*n.*13.*seq.* Carpz.*p.*2. *Const.* 10. *def.*11.*n.*3.*seq.add.*Bursat. *Consil.* 133. *n.* 61. Rectè affirmamus, posse *P*atrem etiam in peculio filijfamilias adventitio extraordinario seu pleno salarium advocato constituere. Neque verò textus *N.* 117.*c.*1.cum *auth. Excipitur*, in contrarium adducti de alio casu per allegatas rationes explicandi veniunt, quam ubi patri cum Ususfructu etiam administratio expresse est adempta, quod in patre non suspecto non præsumendum, uti per plura allegata docet Bursat. *Consil.* 133 *n.*40.*seq.* In judicio autem, licet Filius, consentiente tamen patre *d.l.ult. in fin pr. C. de bon.quæ lib.* agere vel excipere possit; hoc tamen tantùm eò spectat, quò de principali litis personâ, deque eo, ad quem detrimentum & commodum exinde devoluatur, constet, *per d.l.ult.in fin pr.C. de bon.quæ lib.*

§ 8. Exinde ulterius ferri judicium potest de eo: An pater naturalis ex bonis Filij naturalis salarium Advocato validè constituat? Quod iterum affirmamus. Cum enim naturalis ratio dictitet, ut ii, qui rebus suis ipsi superesse non possunt, aliorum ope & Consilio juventur, adeoquè administratio bonorum Filij naturalis non minus sit concedenda Patri quam filii legitimi, dum eadem

dem naturalis ratio ad omnes quomodocunquè natos æquè pertineat *arg. l. 10. §. 3. & 4 ff. de Accusat. l. 32 ff. de R. I.* maximè cum testamento, certis observatis solennibus tutorem filio naturali dare possit Pater *l. naturali 7. §. 1. ff. de Confirm. tut.* post Bartol. *ad dict. leg.* Gabr. Palæotus *de Nothis spuriisquè filiis cap.* 52. Majorem verò potestatem ipse pater habet in rebus filij quam tutor, uti probat Arius Pinell. *ad l. 1. C. de bon. mater. part. 2. n. 67.* quem tamen Salarium constituere posse & supra th. 5. allegavimus & infra thesi sequenti latius persequemur. Quid? quod patri naturali erga filios illegitimos hoc tantum prohibitum videtur, ne quid de suo iis largiri possit *l. 1. & l. fin. C. de natur. lib.* In cœteris autem quæcunquè ferè erga illos exercere imo & in judiciis eorum nomine experiri concessum, uti ex Alex. *ad Sct. Trebell.* docet Gabr. Palæotus *de Nothis spuriisq; Filiis. c. 52.*

§. 9. Idem similiter de Tutore colligendum est. Cum enim is quoad providentiam pupillarem Domini loco haberi debeat *l. 27. ff. de adm. tut. l. 56. §. 4. ff. de Furt.* & eam habeat bonorum pupilli administrationem, ut quoquè actiones pupilli instituere & suscipere debeat. *l. 25 C. de adm. tut. & t. t. C. de Actor. à Tut. seu Curat.* Imo honoraria Advocatorum pupillo imputari possint à Tutore, si litem non supervacaneam instituit *l. 9. §. 6. ff. de admin. tut.* Quin & aliis mercedes validè præstet *per l. 12. §. 3. ff. eod.* Bursat. *Consil.* 133 *n. 62.* Rectè dicitur; Tutorem Advocato Salarium ex bonis pupilli constituere posse vid. Jac. Gothofr. *de Salar. cap. 2. Th.* 11. Quæ omnia mutatis mutandis ad Curatorem Minoris applicari possunt.

§. 10. De usufructuario non immeritò quæritur; Utrum & ipse ex usufructu Salarium Advocato constituere teneatur? Quod affirmandum censeo. Tenetur

enim Usufructuarius ad hoc, ut re fructuaria tanquam bonus Paterfamilias utatur *l. 13. pr. & §. 4. ff. de Vsufr. l. 1. pr. §. 3. & 6. Vsufr. quemad. cav.* eamquè sartam tectam conservet *l. 7. C. de Vsufr.* Richter. *decis.* 20. Ita ut omnem rei curam *l. 1. in f. ff. usufr. quemadm. cav.* quam diligēs Paterfamilias suis rebus adhibet, suscipiat. *l. 65. pr. ff. de Vsufr.* Praeterea ad onera rei fructuariae imposita *l. 7. §. 2. ff. de Vsufr. l. 28. de Vsufr: legat. c. de nobis X. de decim.* etiam extraordinaria tenetur *d. l. 28. ff. de Vsufr. leg. junct. l. fin. C. de Muner. patrim. lib.* 10. dum, quoniam lucratur fructus, & onera quoquè ferat aequum est, per *l. 10 ff. de Reg. Iur. l. 13. C. de Act. Emt.* Carpz. *lib.* 1. *Resp.* 105. At vero ad onera quaevis rei fructuariae tuitio spectat, juxta tradita *Magnifici Dn. Pro Cancellarij* Strauchij *Differt. Iustinian.* 7. *th.* 33. adeoquè & tuitio quae in Judicio per Advocatum fit per *l. 14. C. de advoc. divers. Iudicior.* ad eundem pertinebit. Hoc tamen negari nequit, si talia requirerentur honoraria vel Salaria, quae ipsos fructus absorberent, Usufructuario parcendum esset, argumento eorum quae docent Hartm. Pistor. *part.* I. *qu.* 46. *n.* 33. Carpz. *lib.* 1. *resp.* 105.

CAP. III.

Quemadmodum constituatur praesteturve Salarium Advocatorum.

§. I.

Forma constit.

PErgimus ad constitutionem praestationemquè Salarii Advocatorum. Constituitur vero vel inter vivos actu ad constituendum Salarium habili, uti donatione, pacto seu contractu; sive expresso sive tacito; vel ultima volun-

voluntate, testamento, Codicillis, legato &c. vel absquè conventione, lege, statuto vel consuetudine; utrobique sive in quantitate determinata, sive arbitrariè judicis officio.

§. 2. Constituitur ergo inter vivos (1) *Donatione*; Potest enim Cliens Advocato laboris vel officii sive præstiti sive præstandi gratia certam pecuniam, Salarij vel mercedis loco donando constituere. Nam quanquam donatio ob causam maximè præteritam, non propriè donatio, sed quædam quasi Merces & pretium officij esse videtur *l.* 19. §. 1. *l.* 34. §. *ult. ff. de donat.* unde etiam nec insinuatione indiget. Tiraquell. *ad l. si unquam C. de Rev. donat. voc.* donatione largitur *n.* 47. *&* 143, Jac. Gothofr. *de Salar. cap.* 1. *th.* 12. Carpz. *p.* 2. *Const.* 12. *def.* 15. Nec ob ingratitudinem vel supervenientiam liberorum revocari potest, *l.* 27. *l.* 34. §. 1 *ff. de donat.* Tiraquell. *d. l. n.* 141. *seq.* Carpz. *p.* 2. *Const.* 12. *def.* 34. sed quia tamen in Jure nostro donationis remuneratoriæ materia in Titulis de Donationibus tractatur *t. t. ff. de donat.* & donationi propriæ, simplici & meræ, vel magis, vel minus accedit, *magis*, ut quando quis ratione meritorum solùm ad gratitudinem obligatur per *l.* 25. §. 11. *ff. de petit. heret. minus* vero, ut quando remunerationem actione exigere potest, *l.* 27. *ff. de donat.* Struv *in Syntagm. Iur. Civ. Exerc.* 40. *th.* 17. Et præterea sub voce Donationis non solùm remuneratoriam, sed etiam eam, quæ sub modo & in causam futuram fit, intelligimus, quæ tamen inter donationes refertur *t. t. C. de donat. quæ sub modo* rectè donatione Salarium Advocati constitui posse dicimus, Vid. Jac. Gothofr. *de Salar. c.* 2. *th.* 12. An vero hæc donatio veram æstimationem operarum & laboris excedere possit? non immeritò quæritur, Pro negativâ facere videtur, quod non sufficiat

 in

in genere allegare merita, sed causa donationis remuneratoriæ in specie sit exprimenda, cùm si aliter esset, nesciretur, utrum dono correspondèrent, quod tamen donationis remuneratoriæ necessarium sit requisitum, docente ita Carpzovio *p.2.decis.*124.*n.*17. & quod judex cogere possit advocatum ad restituendum Salarium immoderatum, juxta Jac. Benium *de Privileg. ICtorum part.3.th.*73.*n.*5. Sed quoniam is, qui donando constituit Salarium non est adstrictus, ut operam advocati sui præcise æstimet *arg. l.*1. §.13.*ff.de Extraord. Cognit. l.*38.§.1. *Locat.* Innocent.*in cap.quia plerique X. de immunit. Eccles. vers. sed quid.* Cum honoraria non ob laborem solum, sed & dignitatem, probitatem scientiæ & intellectus debeantur *l.*1.§.10 *ff.de.Extr.Cogn.* Præterea versamur hic in casu, in quo impunè donari potest, per supra dicta, Quid? quod legalis hæc sapientia pretio æstimari nequeat *d. l.*1. §.5 *ff. de Extraord. cognit.* & opera quoque Advocati, quæ de vita, fama & honore hominis defendendo est occupata inæstimabilis sit, *arg.l.*34.§.1 *ff.de donat.* Vivius *Commun. opin.in verb. Advocati Salarium.* Jac. Benius *de Privil. Actor p.*3.*th.*73 *n.*10.*&* 11. Et si vel maxime donatio merita in se spectata interdum excedit, non tamen semper excedat ratione donantis vel donatarij *cap.*1. *X.de donat.* sed reperiantur adeo grati animi sæpè viri, qui existiment, collatum sibi in tempore beneficium, ingenti summa pensari non posse. Menoch.*de Arb.Jud.lib.*2.*cas.*132. *n.*6.*&* 9. Mascard.*de Probat. Concl.*136.*n.*8.*ad fin.* Itaquè recte statuimus, donationem hanc Advocati remuneratoriam operam & laborem ejus adhibitam, respectu tam personæ donantis & donatariæ, quam causæ aliarumque Circumstantiarum, quas prudens judex æstimabit, notabiliter excedere posse, ita ut privilegia donationis remu-

neratoriæ retineat, nec propterea id quod donatur Advocato eatenus insinuatione opus habeat, per *hactenus allegata.* Carpzovius loquitur *in part. 2. decis. 124.* de donatione reciproca, quæ strictiori se ratione habet, ita ut etiam idem utrobiquè tempus requirant Dd. nec merita futura considerari soleāt, uti late hæc persequitur laudatus Carpzovius *d. l. n. 9. seqq. n. 14 seq.* Deinde æqualitas doni & causæ donationis non æstimanda tantum est ex opera & labore in se considerato, sed etiam respectu circumstantiarum jam memoratarum vid. Finckelthaus. *obs. 98. n. 52.* Menoch, *de Arb. Iud. lib. 2. cas. 132. n. 7 seqq.*

§. 3. Porro constituitur Salarium Advocati (2) *Conventione*, nempè vel stipulatione vel pacto *l. 1. §. 12. ff. de Extr. Cogn. l. 3. C. de Postul.* Speculator *de Salar. Advoc. n. 1. in fin.* Jac. Gothofr. *de Salar. c. 5. th. 5.* Ludvvell. *ad Wesenbec. n. 6. de pact.* Et quidem non tantum post litem finitam, sed & initio ejusdem. Speculator *d. l. n. 5.* Jac. Gothofred. *d. l. th. 7.* Utile enim est Advocato pariter ac Clienti de certo Salario paciscì, Ludov. Roman. *Consil. 252. n. 4.* Sed utrum nudo pacto constituatur Salarium? Quæritur; De jure quidem Civili pactum nudum actionem non parit, per *l. 7. pr. & §. 4. ff. de Pact. l. 10. l. 21. C. eod.* Sed quia tamen Salarium Advocato debetur, etsi nulla præcessit conventio, per ea, quæ infra dicentur, & pacto Advocatis deberi Salarium, respondit Ulpianus in *l. 1. § 12. ff. de Extraord. cognit.* add. Menoch. *de Arb. Iud. lib. 2. Cent. 6. cas. 513. n. 1. & 2.* quibus jungi potest *l. un. C. de suffrag.* Ubi promittentes pro suffragio promissa præstare debent, & si moras nectant, ad solutionem debiti sunt coarctandi. Vid. Speculator *de Salar. Advoc. n. 7.* Menoch. *d. l.* Itaq; licet abstrahamus ab eo, quod hodie secundum vulgarem Dd. sententiam etiam ex nudo pacto detur a-

ctio, Salarium pacto efficaciter constitui posse asserimus, Vid. Jac. Benius *de Privileg. ICtorum part. 3. th. 73. n. 1. & 2.* Magon. *de rect. Patr. rat. c. 8. n. 9.* Equidem lex illa unica *C de suffrag.* non de Salario Advocatorum, sed de suffragio loquitur, quia tamen salarium & quod pro suffragio datur, in hoc conveniunt, quod utrumq; versetur circa operam non locari solitam, ejusq; mercedem, & uti suffragium *l. un. C. de suffrag.* ita & patrocinium vendere liceat, *c. non licet 21. c. 11. q. 3.* Speculator *de Salar. Advoc. in pr.* non malè huc allegatur. Vid. Jac. Benius *de Privil. ICtorum d. l.*

§. 4. Uti verò conventione expressa constituitur Salarium Advocati, ita & tacite de eo coventum esse sæpè præsumitur; Veluti ex continuatione actus *arg. l. 13. §. 11. ff. locat. & l. 10. pr. ff. de Off. Procons.* cum quando Salarium semel fuit constitutum, semper præsumatur continuatum & pro toto tempore. Alciatus *Reg. 2. præsumt. 17. n. 15.* Jac. Gothofr. *de Salar. c. 2. th. 13.* Vel etiam quando nullum constitutum est Salarium, cum debeatur id Advocato, etiamsi de eo non sit conventum. Natta. *Consil. 376. n. 6. lib. 3.* Menoch. *de Arbitr. Iud. lib. 2. cent. 6. cas. 513.* Ben. *de Priv. ICtorum p. 3. th. 73. n. 2.*

§. 5. Constituitur (3) Salarium Advocati *Ultima voluntate.* Nam quia Negotiorum gestori legari potest Salarium *l. 10. in pr. ff. de ann. legat.* quemadmodum & Tutori in remunerationem fidei & laboris *arg. l. 28. § 1. ff. de Excusat. l. 33. l. 36. pr. ff. eod. l. 5. §. 2. ff. de his q. ut indign.* quanquam alias de Iure Civili regulariter neque negotiorum gestori, neque Tutori Salarium debetur, cum utrobique negotium originem ex officio & amicitia trahat. *arg. l. 1. §. 4. ff. Mand.* & uti negotia aliorum amici gerant, ita & amicis seu conjunctissimis fere personis tutelate-

la deferatur. Guttierez. *de Tut. & Cur. part. 3. c. 2. n. 1.* Jac. Gothofr. *de Salar. c. 5. th. 16. lit. A.* Accedit & hoc, quod Salarium annuum legato recte relinqui possit, per *l. 8. §. 23. ff. de Transact.* Unde cur idem in Salario Advocati non obtineat, non apparet.

§. 6. *Lege* (4) & *Statuto* Salarium Advocato constitui potest. Supra enim *cap. 2. §. 3.* de Advocatis Fisci & aliis Statutis dixi, habuisse eos non solum Lege Romana decreta Salaria; sed & sectam nostrorum temporum tam Advocatis Fisci sive in Camera Imperiali sive alibi, quam Pauperum, quin & aliarum Causarum Patronis Lege vel Statuto Salaria constituisse. *Vid. th. 3. & 4. cit. cap. 2.* Quod idem & *Consuetudini* si requisitis suis gaudet, acceptum ferendũ, cum in salariis solvẽdis multum ei deferatur, per ea quæ habent Surdus *Cons. 42. n. 13.* Farinac. *decis. 354.* Jac. Gothofr. *de Salar. c. 2. th. 14.* Deducto enim ad aliquod officium vel operam consuetum Salarium constitutum creditur. Guttierez *de juram. confirmat. part. 1. cap. 64. n. 6.* Surd. *de aliment. tit. 4. qu. 23. n. 18.* Menoch. *de arbitr. Iud. lib. 2. cent. 6. cas. 512. n. 20. & cas. 515. n. 2.*

§. 7. Deniquè (5) & *officio Iudicis* Advocato constituitur Salarium. Si enim neque actu inter vivos, neque ultima voluntate, neque lege de eo provisum est, officio judicis id decernendum venit *l. 1. § 10. ff. de Extr. cogn.* Natta *lib. 3. Cons. 376. n. 6.* Puteus *decis. 11. in fin. lib. 3.* Finckelthaus *Obs. 98. n. 47.* Magon. *de rect. patr. rat. c. 8. n. 3. & 6.* Uti enim ea, quæ vel lege vel voluntate hominum determinata non sunt arbitrio judicis sunt relicta; Ita de Salario Advocati idem asserendum est, maximè cùm magna causarum aliarumq; circumstantiarum sit varietas, quàm examinare judicis utique officio convenit, ceu docet Menoch. *de Arbitr. Iud. lib. 2. Cent. 6. cas. 513. n. 6. & 7.*

& 7. Uti vero hoc arbitrium Judicis non èst omnino liberum & voluntarium, sed potius secundum legum præscripta temperatum, cum Judex illud imprimis observare debeat; ne aliter judicet, quam legibus, Constitutionibus aut moribus proditum est. *pr. I. de Off. judic. Nov. 82. c. 13. l. 13. C. de Sent. & interloc. omn. jud.* Ita etiam leges determinant, quid in æstimando & constituendo Salario respicere debeat Judex, scilicet pro modo litis, Advocati facundia, fori consuetudine & Judicij, æstimatio adhibenda *l. 1. §. 10. ff. de Extr. cogn.* eaque ad centum usque aureos extendenda & observanda *d. l. 1. §. 12. eod.* Hinc *Iacobo Marescoto* doctissimo in Senatu Parisiensi Advocato, ob breves quasdam & eruditas rationes Juris, quas salvationes vocant, cum renuisset oblatum ab imperito clientulo salarium impar, dicens: *se tantùm id accepturum, quod propterea in casum victoriæ taxaretur*: Sexaginta libræ taxatæ & adjudicatæ sunt, habita ratione non ad brevem sed ad doctam & resolutoriam scripturam, modumq; litis & eminentem scientiam Advocati; Uti exemplum hoc recenset Tabor *in Barbos. locuplet. lib. 17. c. 3. ax. 1.* ex Molinæo *in Regul. Cancell.* Sublimes enim & literatæ personæ majoribus etiam beneficiis sunt honorandæ *c. de multâ 28. x. de pact.*

§. 8. Quæri verò hic potest: An quantitas centum aureorum pro Advocati Salario à constituente excedi possit. Quod constitutionem Salarij eam attinet, quæ lege seu consuetudine fit, res caret dubio, cum Statutum vel Consuetudo hac in parte modum & quantitatem, quæ sit observanda ponat. Hinc videmus Advocato Fisci olim ex arca Præfecti Prætorio sexaginta auri libras per *l. 6. pr. C. de advoc. divers. judicior.* sive sexcentos aureos Kalendis Octobribus singulis annis solvendos fuisse per

ſe per *l.7.§.4.C.de Advoc. diverſ. Iudicior.* quibus acce- Quantitas.
debat ſtrena Kalendis Januarij *l.4.§.1.C. eod.* Advocato verò Fiſci Cameræ Imperialis 300. aureos, quorum unus 16. baziorum eſt, per Ordin: Cam. *p.1.tit.45.* decretos eſſe; Et Iaſonem ICtum habuiſſe à Rege Francorum in annuum ſtipendium mille ducentos thaleros apud Chaſſanæum legimus *in Catal. Glor. mundi part. 30. Conſid. 27.* Quantum in Electoratu Saxoniæ Advocato pro ſingulis actibus loco ſalarij debeatur lege, videre licet im Torgauiſchen Außſchreiben de anno 1583. tit. von Advocaten; Policey-Ordnung Ioh. Georg. I. divæ memoriæ de anno 1612. tit. Juſtitien-Sachen/ §.10. Suus enim cuique Curiæ, foro & provinciæ, hac in parte mos eſt, ſua lex & conſuetudo. Quod verò ultima voluntate decernitur Salarium, ei per 100. illos aureos etiam modus poni non poteſt *l.120 ff de V.S.* Et quid de Salario donatione conſtituto ſentiendum ſupra diximus; cum multa honeſte accipiantur, quæ tamen inhoneſtè petuntur *l.1.§ 5.ff. de Extr. Cogn.* An verò probabilis illa quantitas, uti dicitur in *l.1.§.12.ff. de extr. cognit.* pacto quoque ſive officio judicis excedi poſſit? Vix videtur eſſe aſſerendum, per text. expreſſum in *l.1.§.12.ff. de extr. cogn.* ubi dicitur licita eſſe quantitas pro ſingulis cauſis ad centum usq; aureos. Quemadmodũ verò pacta contra Leges non valent; Ita nec officio Iudicis quantitas illa ſuperari poteſt, cum arbitrium ipſius intra illam ſummam coerceri debeat, docente Menochio *de Arb. Iud. lib. 2. Cent. 6. caſ. 513 n 7.* Benio *de Privil. ICtorum p.3.th.73.n.6 ſeqq* Finckelthauſ. *Obſ.98.n.50.* & præjudicio *Fac. Lipſ. Iurid. n 52. ibid.* Sicuti enim Salarium ſuum cuique debetur; Ita modus ubique ſervandus, ne ſub ſpecie laboris remunerandi turpi depectione contra bonos mores alii ſpolientur; uti loquitur

D Jac.

Jac. Gothofr. *de Salar. c. 7. th. 1.* Peccat enim secundum Moralistas Advocatus mortaliter, si prætēdat à Clientulo Salarium ultra taxatum à Lege. Soto *de Iust. & Iur. lib. 5. quæst. 8. art. 4.* Speculator quidem in illa versatur opinione, quasi id, quod de summa centum aureorum dicitur, olim tantum habuerit locum, cum Salaria Advocatorum ex publico solverentur, non verò hodiè, ubi liceat de parte quanta pacisci. Vid. Speculator *de Salar. Advocat. n. 3.* Id tamen negat Petrus Gregor. *Synt. lib. 49. c. 8. n. 8.* & respondet Finckelthaus. *Obs. 98. n. 51.* Immoderatum enim honorarium à Cliente promissum ad partis petitionem à Iudice moderandum esse ex *l. 1. §. 10. ff. de Extr. cogn.* Sarmiento, Guttierezio & aliis docet Jac. Gothofr. *de Salar. c. 2. th. 3. lit. B.* Assertio tamen hæc limitatur (1) si Cliens ultro majorem summam offerat, ubi Advocatus etiam in conscientia excusatur, juxta Innocent. *ad c. quia plerią. 2. vers. sed quid dices X. de Immun. Eccl.* Benium *de Privil. ICtorum part. 3. th. 73. n. 8.* (2) Si de causa sit, ubi de vita, fama & dignitate hominis consequenda res vertitur, qualis opera æstimari nequit per *l. 34. inf. de donat.* vel etiam alia ardua sit causa, quæ maximum laborem & studium requirit, secundum Trentacinq. *in Var. Resol. lib. 2. de Postul. resol. 1. n. 12.* Guidon. Papæ. *decis.* 190. (3) Si juramento major summa promissa per *c. cum contingat 28. x. de jurejur. & c. quamvis de pact. in 6to.* Guido Papæ *decis. cit.* Finckelthaus. *obs. 98. n. 49.* frustra dissentiente Iac. Gothofr. *de Salar. c. 7. th. 6. lit. A.* (4) Si præter Salarium annuum etiam palmarium, sed modicum, in casum victoriæ pacto quæratur, *l. 1 §. 12 ff de extr. cogn* Farin *qu. 1 6 n. 4 1.*

§. 9. Quis autem illorum centum aureorum valor sit, nunc non vacat accuratius excutere; Sane eandem eos summam facere, quam faciunt dena illa Sestertia, quæ

Clau-

Claudius Imperator secundum Tacitum, *lib.* 11. *Annal.* *c.* 5. vel decem millia Sestertiûm, quæ Trajanus secundum Plin. *in Epist. ult. lib.* 5. pro orandâ causâ concessit; vel quam hodie 250. aurei, seu Ducatones nostræ monetæ exæquant, diu evicerunt Eruditi. Sestertium enim duas continet libras cum dimidia argenti, unde Sestertium à sesquitertio dictum, perinde uti sesquialterum dicimus unum cum dimidio. Libra verò habebat quadringentos, & aureus Ulpiani tempore 100. nummos Sestertios vel 25. denarios seu drachmas, quarum una quatuor valebat sestertios seu 10 aureos Romanos, sive 250. denarios; Dena verò Sestertia 25. libras, seu 10000. sestertiûm sive 100. aureos, seu 2500. denarios sive drachmas faciebant. Jam cum decem denarij seu 40. sestertij unum faciant ducatonem nostrum; itaque 2500. denarii sive 100. aurei Romani, vel 10000. sestertiûm, ducatones 250. facient. Quæ omnia pluribus videre est apud Alciatum *lib.* 3. *c.* 9. *dispunct.* Tiraquell. *de Nobilit. cap.* 29. *n.* 29. Cujac. *lib.* 19. *obs.* 31. Benium *de Privil. ICtorum part.* 3. *th.* 73. *n.* 7. Gothofr. *de Salar. c.* 7. *th.* 1. *lit. D.* Gronovium *de Sestertiis c.* 15. Brummer. *ad l. Cinciam. c.* 4 *p.* 51. *& c.* 6. *p.* 76.

§. 10. His expeditis, paucis etiam explicandum venit, quid juris sit; si Advocatus intra legitimum modum de certo salario totius litis ab initio pactus sit, postea vero de uberiori salario cum cliente conveniat; Nos dicimus tale pactum validum non esse. Dicitur enim in *l.* 1. §. 12. *ff. de extr. cogn.* malo more pecuniam litis causa esse promissam, si suspensa lite ita caveatur, add. *l.* 6 §. 2. *C. de postul.* Specul. *de Salar. Adv. n.* 5. Unde & Oratio Trajani, qua Clientibus, peractis demum negotiis, permissum, pecuniam ob Advocationem dare, non vero ante litem, cum potius dum juberentur jurare, se nihil ob ad-

 vocatio-

vocationem cuiquam dedisse, promisisse vel cavisse, juxta Plin. *lib.5. Epist. ult.* respexisse videtur, ne scil. acceptâ pecuniâ, ansa daretur Advocatis, lites perfunctoriè tractare, eas immortales facere, vel etiam, nisi nova datæ pecuniæ superadderetur, susceptum negotium perfidè deserere. Præterea contra pactum pendente lite de augendo Salario factum & hoc facit, quod Advocati ita crescente periculo, metuq; periculi Clientibus objecto, quidvis ab iis extorquere valeant, quod ne contingat in Republicâ, providus Magistratus meritò prospicit. Nec habent Advocati, de quo merito cõqueri possint, cum sibi imputare habeant, quod litis magnitudinem æstimare non potuerint, vel de Salario potius annuo sibi non prospexerint. Vid. Speculator *de Salar. Advocat. d. l.* & Iac. Gothofr. *de Salar. c.5. th.8.* Aliter se res habere videtur de pacto, quod pendente lite de imminuendo salario eo, de quo prius conventum initur, quale faciunt Advocati ille, qui honoris æstimationem cum remuneratione salarii compensant, uti habet Speculator *de Salar. Advoc. n.6.* & ex eo Gothofr. *d. l.*

§. 11. Pari ratione pactum, quod Advocatus Salarij nomine cum Cliente super quota litis, ut vocant, iniit, sive ut ex ipsa re in litem deducta, suspensa lite certam partem & societatem futuri emolumenti consequatur, non valet, per textus expressos in *l. 6. §. f. & l. 7. ff. Mand. l. 1. §. 12. ff de Extr. Cogn. l. 53 ff. de pact. l. 5. C. de postul.* Habet enim tale pactum secum metum Concussionis, quod Cliens nihil non sit facturus, & est quædam litis redemptio, uti loquitur Magn: Dn. Pro Cancellarius Strauchius *Differ. Iustinian. 12. th. 9.* Quin & nimiam Advocati supponit affectionem ad causam per fas & nefas obtinere cupientis. *Borgnin. Cavalc. Decisione 41, n. 43.*

part

part.1. Unde etiam hunc paciſcendi mórem piraticum appellat ex Quintiliani *lib*.12.*c*.7. Marq. Freher. *de Exiſtim.lib*.3.*cap*.13.*n*.2. & Imperator in *l*.5.*C. de poſtul.* deprædationem & ſævitatem dicit. Farinac. *in Prax. Crim. qu*.106.*n*.12. Quare & Fulgoſium, cum noviter Doctor factus eſſet, & prohibitionis pacti ignarus, de quota litis pepigiſſet, poſtea juris conſcium, totum reſtituiſſe dicit Jac. Gothofred. *de Salar c*.7 *th*.4. Et hæc prohibitio adeo obtinet, ut ad rem quoquè minimam extendatur, nec quinquageſimam vel etiam centeſimam partem ſtipulari liceat, uti poſt Azonem Salicetus *ad l*.5.*C. de poſtul. n*. 1. Speculator *de Salar. Advocat.n*.1. Barboſa *ad d.l*.5.*n*.18. Trentacinq. *lib*.2.*tit. de Poſtul. reſol*. 1.*n*.3. Farinacius *in praxi* 621.*min.q.Cri n* 27. Belold. *in de libat jur.lib*.3.*q*.5. *in fin.* ubi & ad contraria reſpondet, aliiquè docent; quemadmodum & ad rem certam particularem, utpote domum ex hereditate, de quâ lis eſt, ampliatur per *l*.5. *C. de poſtul. aliosq́ textus & rationes ſupra alleg.* uti videre eſt apud Farinac. *d.l.n*.29. Obſtare quidem videtur Conſtitutio Frideric. II. Imperatoris de Salar. Advocatorum ſupra ex Codice legum Antiquarum Lindenbrogii *lib*.1. *Conſt. Sicul. tit*, 83. allegata, ubi concedit Imperator, Advocatos ſexageſimam cauſæ partem â privatis ſtipulari poſſe, ſi res æſtimationem recipiat; ſin vero min⁹, uti ſunt cauſæ ſtatus & hominum, Salaria Advocatorum judicis arbitrio eſſe definienda. Sed quia hæc Conſtitutio poſtea eſt abolita & deſuetudine obûbrata, Juſtitia vero legum Juſtinianearum circa prohibitionem *Pacti* de quota litis ad uſum revocata, ea hodienum in viridi eſt obſervantia, Interea tamen negari non poteſt, & hanc prohibitionem ſuas pati limitationes, quarum plures adducuntur â Farinacio *in Praxi Crimin q*.106. *n*. 48, *ſeqq.* Inter quas

eminet ea,(1) si pactū de quota litis post victoriam causæ ineatur; cum enim ibi ratio prohibendi cesset, concessum illud statuunt Dd. uti eam in rem plures allegat laudatus Farinac. *d. qu.* 106. *n.* 50. & 59.

§. 12. Celebris quoquè pactionis de quota litis prohibitæ limitatio (2) est apud Doctores, si pactio illa jurata sit; tunc n. vinculo religionis tale juramētum de jure Canon. per *cap. quamvis de pact. in 6. c. cum contingat X de jurejur*: cum servatū non vergat neq; in dispendium salutis æternæ, neq; in alterius præjudicium, servandum esse statuunt Seraph. de Seraphin. *de Juram. Priv.* 170. *n.* 2. & *alii allegati apud* Benckendorffium *in Addit. ad Seraphinum d. l.* Item Guido *Papæ decis.* 102. & 190. ut & *Consil.* 205. *n.* 25. Bachovi⁹ *ad Tr. Vol.* 1. *cap.* 6. *th.* 7. *lit.* C. Ludw. *ad Wesenbec. n.* 6. *de Pact.* Quanquam enim pro contraria sententia allegari possit, quod sit contra bonos mores tale pactum *l.* 7 *ff. Mand. l.* 15. *C. de Procur.* & vergat etiam in præjudicium legum publicarum ipsiusquè Reipubl. quale jūramentum servandum non esse docet Frantz. *lib.* 2. *Resol.* 5. *n.* 20. *seqq.* ubi & plures eam in rem allegat; Sed quia dictæ leges propriè loquuntur de redemptione litis majori pretio facta, cum qua non omnimodè pactum de quota litis concordat; & si applicari hûc possent, distinguendum tamen esset cum Dd. inter bonos mores Civilis & Canonici juris cum Rittershul. *de differ. Iur. Civ.* & *Can. lib.* 3. *cap.* 17. *in fin.* & *cap.* 20. *in f.* Nequè enim, si servatur pactum de quota litis â Cliente, est inductivum & nutritivum peccati mortalis, & proinde dispendium affert Salutis æternæ, quod fit super actu sua natura turpi, & qui principaliter repugnat utilitati publicæ, quod alias dicitur esse contra bonos mores Juris Canonici Gail. 2. *Obs.* 39. *n.* 15, Rittershul. *de diff. Iur. Civ.* & *can. d. l.* Sed

potius,

poti⁹, quod tale pactum sit prohibitum, primario & principaliter ad privatã litigantis seu Clientis ulitatẽ spectat, quem juramenti vinculũ, si juri suo juratò renũciavit, obligare, nullum dubium est, uti ex Bartolo docet Seraph. de Seraph. *de jurament. Privil.* 170. *n.* 2. Esto, quod secundariò & reductivè contra utilitatem publicam quoquè pugnet, cum hoc non obstante, tales actus taliaquè pacta juramento confirmata utiquè servanda sint, uti constat ex similibus casibus donationis Conjugum, alienationis dotis, Intercessionis pro marito, donationis omnium bonorum præsentium & futurorum, donationis ultra 500. solidos non insinuatæ &c. quæ omnia secundariò utilitati publicæ derogant, & tamen, præstito super iis juramento, servari solent & debent. Vid. Rittersh. *de diff. jur. Civ. & Can. lib.* 3. *cap.* 3. *& multis seqq.* Struv. *Exerc.* 17. *th.* 24. *add.* Frantz. *lib.* 2. *Resol.* 5. *n.* 26. *seqq.* Itaquè statuimus cum supra allegatis aliisq; Doctoribus servandum esse pactum de quota litis, si juramento sit confirmatum.

§. 13. *Postquam* absolvimus ea, quæ circa constitutionem Salarij occurrunt, ad illa quoquè facimus paucis progressum, quæ *præstationem* ejus respiciunt. In hac considerabimus tàm eum, *cui* Salarium præstare incũbit, quam etiam *quibus in rebus*, item *quo tempore* id præstari debeat. Forma Præst.

§. 14. *Præstat* vero Salarium Advocato omnis, cui per constitutionem obligatio & consequenter præstatio injuncta est, uno verbo Cliens; qui eo ipso quod *Salarium* constituit, obligatus est Advocato ad exsolvendum id quod promisit: sive Fiscus is sit sive Privatus. Hic quæri potest: An Successor in Officio Advocato solvere teneatur *Salarium* quod Prædecessor eidem debet? Equidem si jure hereditario succedat, nullum subest dubium,

cum

cum factum defuncti præstare teneatur heres. *l. cum à matre C.de ReiVind.l.2.C.de neg gest.l si patri 24.C.de don. l.10.C.de Solut.* si vero jure proprio succedit, uti successor Episcopi, vel *Prælati*, ibi cum non teneatur de facto defuncti, uti docent Hartm. Pistor. *part. 2.q.9.n 41.& 46.* Carpzov. *pag. 2. Const. 48. def. 3. num.* 4. nec tenebitur de Salario Advocati, quod debuit prædecessor. At v. quoniam Advocatus in utilitatem v.g. Ecclesiæ, in qua succeditur, accersitur, imo haud rarò patrocinium Ecclesiæ est necessarium *per l.4 C.de Advoc divers judic.* quæ autem ad utilitatem Ecclesiæ à *Prædecessore* sunt acta, ea rata habere tenetur successor & præstare, cum legitimam ille habuerit administrationem, uti docet Modest. Pistor. *Vol.1.Cons. 63.n.14.* quemadmodum & ea implere tenetur, quæ in remunerationem meritorum ab antecessore sunt promissa, *can. quicunque 66 caus.12.q.2.* cum Ecclesiasticis utilitatibus desudantes, Ecclesiasticâ dignum sit remuneratione gaudere *c. 67.c.12.qu.2.* faciunt quæ habet Modest *Pistor.d.l.n.2.* Imo si servitia sint præstita pro necessitate ipsius *Prælati* Ecclesiæ, ad remunerationem successorem esse obligatum docet Gloss. *in c. 1. & 2. de Solut.* Abbas *in c præsentium X.de.pign & in cap.per tuas 2. notab. X. de donat.* Jac. Puteus *lib. 3.decis.11 per tot.* Jac. Benius *de Privil.ICtorum p.3.th.73 n.3.* Mod. Pistor. *Vol. 1.Consil.63.n 3.* Cùm hæc sit justa & licita causa bona Ecclesiæ alienandi. *Pistor.d.l.* Hinc rectè statuitur etiam successori illi, qui proprio *jure* succedit, incumbere, ut præstet Salarium Advocato á Prædecessore promissum. Quod vero asseritur, successorem etiam ad remunerationem operarum Prælato antecessori præstitarum esse obligatum, hoc eam habet limitatione si necessariæ illæ sint; In voluntariis enim, quib⁹ antecessor bene carere potuit, & ubi de Salario non est conventum, sed prædecessor id

tantùm,

tantùm dare est solitus, idem non obtinet, per ea quæ deducit Jac. Puteus *lib.2.dec.43.& lib.3.decis.1.*

§.15. Porro quæritur: Num Adversarius in expensas condemnatus teneatur Advocato in propria causa Salarium præstare? Negatur hoc quidem per *l. 28. §.2. ff.locat.* ubi statuitur conductorem ædium, ex quibus emigrare coactus est, si alias sibi ædes conduxisset, recuperare quidem posse â primo locatore, quantum sine dolo malo alterius domus conducendæ gratia præstitisset, non vero si gratuitam habitationem habuisset. Gail. *libi 1.Obs.151.n.16.* Berlich. *n.1.Concl.72.n.57.* sed quia tamen iniquum est, damnosum cuiquè esse officium suum *l.7. ff. Testam. quemadmodum aper.* & pro alienis commodis suas invenire difficultates *l.19. §.sed cum minime C.de Test.* recte affirmatur præstandum esse eidem salarium per modum interesse atquè damni, dum per negotium proprium tempore exclusus aliis superesse non potuit, vid. Boër. *decis.210.n.3.& 4* Gail. *1.Obs.151.n.16.seqq.* Christinæus *Vol.2.decis.Belg.102.* Benius *de Privil. ICtorum p.3. th.73.n.4.* Carpz. *part.2.Const.31.def.13.* Id quod multo magis obtinet, si alterius opera seu advocatione eam in rem usus esset, quia ipsi tenetur ad antidora *l. 15. §.11. ff. de heredit. petit.* adeoquè sibi abesse videtur, in quo obligatus est per *l.28. in fin. ff. de neg. gest* Benius *de Priv. ICtorum p.3 th.73.n.4.* Jac. Gothofr. *de Salar. c.5. th.6.*

§.16. Plures adhuc aliæ hic cumulari & evolvi possent quæstiones: *Nimirum*: Utrum Cliens teneatur Advocato præstare Salarium, si absquè evolutione librorum consulat? quam cum Benio *de privil. ICtorum p. 3. th.74.* Jac, Gothofr. *de Salar. cap.5. th.5. lit. F. & pluribus apud* Benium *allegatis* affirmamus. *Item*: An Clienti Salarium solvere incumbat, si causa non mediante sententiâ,

 sed

sed per amicabilem compositionem finiatur, in qua itidẽ cum Magonio *Flor. dec.* 12 *n.* 3. *&* Guid. *Papæ decis.* 262. *vers. & Advocatus illud debet habere*, affirmativa nobis arridet. *Porro*: An Cliens præstare debeat Salarium annuum integrum, licet operâ Advocati eo anno nõ fuerit usus? Quam cum Carpz. *lib.* 3. *Resp.* 2. *& aliis ibid.* allegatis Dd. affirmamus, quando per advocatum non stetit, quo minus labores præstaret. *Item*: si Cliens promisit Advocato Salarium pro victoria plurium causarum, utrum una obtenta proportionabiliter ei solvere cogatur Salarium? quam etiam asserimus cum Joh. Gutierrezio *de Tutel. & Cur. part.* 3. *c.* 13. *n.* 6. Et quæ sunt aliæ plures. Sed quia nobis hâc vice non licet esse prolixis, igitur hæc mittimus, & ad materiam Salarii properamus.

Materia. §. 12. Ea vero subsistit in rebus omnibus quæ inter Clientem & Advocatum sunt in commercio, sive corporales sint, sive incorporales, mobiles sive immobiles, quãquam ut plurimum quemadmodũ olim, uti supra de Advocatis Fisci & reliquis Statutis diximus, ita & hodie in pecunia & speciebus annonariis, Cellariensibus, fructibus agrorum, & id genus aliis solvitur. Vid. Jac. Goth. *de Salar. c.* 3. *th.* 9. *cap.* 10. *th.* 1. *& supra c.* 2. §. 3. De re quæ in lite est, jam supra diximus *c.* 3. §. 12. in ea non posse constitui, nec consequenter solvi Salarium, cum in pactum de quota litis id incidat. Secus tamen se habet post litem, ubi cessat ratio prohibitionis, & consequenter tunc præstari potest. Vid. Joh. Brunnem. *Tract. de Cession. act. c.* 2. *n.* 49. 50. 56. Sed quæritur, an si nec immobilis sit præstanda, præter traditionem requiratur etiam scriptura? Et videtur utiquè affirmandum id esse *arg. l. un.* §. 1. *&* 2. *C. de suffrag.* ubi dicitur: Quod si res mobilis detur pro Salario, sola traditio sufficiat ad dominii translationem, si vero

præ-

prædia rustica vel Urbana, scriptura, quæ eam in aliam transferat, emittatur, sequatur & traditio corporalis, & rem fuisse completam gesta testētur; Supra autem tradidimus procedere argumentum â salario pro suffragio ad Salarium Advocatorum; vid. Speculator *de Salar. Adv. n.*18. ubi etiam quærit: An Advocatus, rem immobilem absquè illa solenitate, absquè tamen alio vitio sit nactus, Exceptionem habeat contra Clientem rem repetentem? quod affirmat *per l.* 1. §. 3. *ff. de Superfic.* & *l.* 5 *pr. ff. de dol. mal. except.*

§. 18. Quo tandem tempore præstari debeat Salarium Advocato, an initio litis, in medio vel fine? non adeo expeditum est. De Jure antiquo ex Oratione D. Trajani clarum quidem est, tantum peractis negotiis licuisse, præstare, ita ut, ne secus facerent Clientes, juramento cavere debuerint, uti habet Plinius *lib.* 5. *Epist. ult.* cum quo respondet etiam *lib.* 1. §. 12. *ibi*: post causam actam *ff. de Extr. cogn.* eamque sententiam amplectuntur plurimi citati ap. Mynsing. *cent.* 3. *obs.* 2. quos etiam sequitur Jac. Gothofr. *de Salar. c.* 12. *th.* 2. Non pauciores sunt, qui statuunt, Salarium Advocato deberi in initio litis, uti eos allegat Gothofr. *d. l. lit. B.* & Speculator *de Advoc. Salar. n.* 14. qui tamen ipse contrarium tenet. Multi medium eligant viam, atque in medio litis id præstari debere afferunt, quam sententiam amplectitur Mynsingerus & alii, ap. ipsum citati *cent.* 3 *obs* 2. & facit egregiè *l.* 13. §. 9. *C. de Iudic.* ubi dicitur, cogi posse Clientes per Executores ad præstanda Advocatis honoraria, ne causæ merita protrahantur, adeoque si Salarium non solvatur, lis protelctur, add. *l.* 38. §. 1. *ff. locat. l.* 1. §. 13. *ff. de Extraord. cogn. l. ult. C. de condict. ob caus. dat.* Nostra hæc est sententia; Primò omnium videndum esse, quomodo conventum

Tempus præst.

 tum

tum *l.34.de R.I.l.54.§.1.locat.* deinde quid Lege, *Statuto* seu consuetudine obtineat. *d.l.34.de R.I.l.8.C.locat.* *Si* neutrum horum, putamus distinguendum esse: Utrum *S*alarium annuum sit promissum, an vero ad totam causam, illud singulis annis deberi quidem, atq; eo spectare *l.13.§.9.C.de Iudic.* non tamen nisi in fine anni *arg. l.1.§.4. ff.de migrand.l.140.ff.de V.O.* Panschmann. *qu.* 14. *n.* 48. Berlich. *p.2.Concl.35.n.36. Magnif. Dn. Procanc.* Strauch. *Diss. Iustin.15.th.20.* perinde uti id, quod ad totam causam est promissum non nisi finita causa operaque præstita solvendum esse, *l.1. & ibi* Brunnem. *C. de Primipilo,* probat, cum alias sit juris, ut si tempus in Conventione non expressum, nec certus sit regionis mos, finito demum usu & præstita opera merces sit solvenda, *S*alycet. *in l.3.C.Locat.n.8.*Struv.*in Synt.Iur.Civ.Exercit.24.th.13.* accedit *lex egregia* 1.§.12. *ibi:* post causam actam *ff. de Extr.Cognit.* & *l.3.ibi:* gesto negotio *C.de postul.* Quod vero textus pro tertia opinione allegatos attinet, ibi quoad *l.13.§.9.C.de judic.* jam est responsum, scilicet eam loqui de tali casu, ubi annuum honorarium est promissum, quod utique finito anno solvere tenetur Cliens, licet causa nondum sit finita: Ad reliquos vero textus distinguitur inter id, quod Clientes volentes præstant, & ad quod possūt officio judicis cogi, de illo casu citati isti textus intelligendi veniunt per *l.1.§. proinde 5. in fin. ff. de Extr.cogn.* Quanquam uti suadet Jac. Gothofr. *de Salar. c.12.th.23.* sibi magis consulunt Clientes, si mercedulam aliquam in antecessum prorogent segnius alioquin acturis.

CAP.

CAP. IV.

De Effectu, Affinibus & Contrariis Salarii Advocatorum.

§. I.

DE Effectu quoque, Affinibus & Contrariis Salarij Advocatorum, sed breviter tamen, quia ad finem properamus, dicendum est. Inter Effectus elucescit Actio, quæ Advocato pro impetrando Salario competit. Si enim moras in solvendo nectit Cliens, non erit imputandum Advocato, qui honestè (ut loquar verbi Caccialupi *de offic. Advoc. q. 3. ad fin.*) ipsum solicitat, ut sibi det Salarium, & nisi amicè id præstet, actione judiciali id petat. Qualis verò actio detur Advocato paucis etiam expediendum est. Scilicet si donatione constitutum Salarium, dari videtur condictio ex *l. 35. §. 5. C. de donat.* si conventione, & quidem si de certo aliquo Salario convenit stipulatione, datur condictio certi *pr. Inst. de V. O. l. 74. l. 75. ff. eod.* Si v. incertum in obligationē deductū datur actio ex stipulatu *d. §. pr. Inst. de V. O. l. 75. §. 1. ff. eod.* Speculator *de Salar. Advoc. n. 4.* Petr. Gregor. *Syntagm. Iur. Univ. lib. 49. c. 8. n. 8.* Si absque stipulatione mandatum v. g. initum & pacto adjecto Salarium determinatum, actio datur extraordinaria, seu officio Judicis implorato *l. 7. ff. mand. l. 1. in fin. C. eod. l. 1. pr. ff. de extr. cogn.* Struv. *in Syntagm. Exerc. 24. th. 3.* Si vero pacto nudo promissum, condictio ex moribus, vel secundum *Speculator. & P. Gregor. d. l.* Condictio ex l. un. C. de suffragio; Si ultima voluntate constitutum Salarium, dabitur actio ex testamento §. 2. *Inst. de legat*, si lege vel consuetudine, Condictio ex lege.

Effectus.

 statuto

Statuto vel moribus *per l.un.ff. de Condict. ex Lege.* Si nihil conventum, itidem extra ordinem peti potest *l.1.pr. & §.§.seqq.l.4.de Extr. Cogn.l.13.§.9.C.de judic.* Speculator. *de Salar. Advoc. n.4.* Petr. Gregor. *Syntagm.lib.49. c.8.n.8.* Gothofr. *de Salar.c.13.th.12.in fin. lit. O.* sive actione in factum, uti loquuntur Benius *de Privileg. ICtorum p.3.th.76.n.2.* Mozz. *de Contr. tit. Loc. Cond.in pr.n.15.* An porro & jus retentionis detur Advocato respectu Actorum? quod alias affirmandum putarem cum Finckelthausio *Obs.98.n.31.seqq. Item*: an locum habeat detentio personalis & arrestum? quod itidem affirmârem, cum Gothofr. *de Sal. c.13. th.16.* nunc mitto.

§. 2. Datur vero actio pro Salario non tantum ipsi Advocato, sed etiam heredibus ipsius. Transmittitur enim salarium debitum ad heredes *l.38.pr.§.1. Locat. l.5.§. ult.C.de Adv.divers. judic. l.1.§.13.ff.de Extr.cogn.* Mynsing. *cent.3.obs.8.* Grav. *lib.1.Concl.44.n.17.* Sed num hoc tantum de annuo stipendio, an vero in genere de honorario quoque & palmario ad totam causam promisso intelligendum? non consentiunt omnino Doctores. Benius quidem *part.3. de Privil. ICtorum th.76.n.3.* putat etiam id Salarium, quod pro lite tota debetur, esse heredibus solvendum, si quidem ante litem finitam Advocatus moriatur, cum per eum non steterit quo minus & illam expediret *l.1.§.13.ff.de Extr.Cogn.* Sed quia tamen hæc transmissio ad heredes de stipendio saltem illius anni, in quo moritur Advocatus, intelligenda venit, per text. express. in *l.15.§.1.ibi*: totius anni solatia ex quo officium peragere cœpit, *C.de Advoc.div. Iudic.* quod etiam aliis Officialibus commune *l.4.ff. de Off. Assess. l.19. in fin.ff. locat.* cum quando salarium ad totam causam est constitutum, etiam de opera Advocati ad finem usque

litis

litis conventum est. Quod si vero ante finem litis moritur, operâ suâ eandem promovisse dici nequit; Et si honorarium fuit promissum, si operæ fuerint præstitæ, existentia conditionis requiritur; uti pluribus deducit Carpz. *lib.3. Resp.1.n.19. seqq.* adde Mynsinger. *Cent.3. obs. 8, & ibi allegatos.* Imo durum foret, Clientem alii Patrono novum decernere debere pro eadem causa honorarium, quod cum sit contra æquitatem, itaque rectè statuitur, transmissionem illam quoad annuum tantum stipendium illius anni, in quo decedit Advocatus esse intelligendam. Interim tamen heredes officio Judicis taxationem laboris à defuncto impensi rectè petunt & impetrant, per *l.1.§.10. ff. de Extr. cogn.* Eâdem ratione hæc actio pro salario etiam datur contra heredes Clientis, cum factum defuncti præstare teneâtur. *l. cum à matre* 14. *C. de Rei Vind. l.7. C. de neg. gest. l. si patri* 24. *C. de donat.* & in omne jus defuncti, ad eoque tam vitia quam virtutes succedant *l.11. ff. de divers. & tempor. præscr.*

§. 3. Porro competit hæc actio ad consequendum omne id quod nomine salarij Advocati venit, vel similitudinem & affinitatem cum salario habet & à Cliente debetur. Unde hâc actione etiam palmarium & expensas, quas extra Civitatem in itinere fecit, & si quæ sunt alia, petit & consequitur. Et instituitur non coram Judice pedaneo de Jure Romano, sed extraordinariè coram ipso Prætore seu Præside, favorabilis enim est hæc actio, itaque celeriter & absque ordinario litis sufflamine expedienda. Vid. Jac. Gothofr. *de Salar. c.13. th.12. lit. O.*

§.4. Affine Salarii Advocatorum est (1) *Palmarium*, quod, licet interdum in latiori significatu idem sit, ac salarium, differt tamen ab eodem in hoc quod Palmarium dicatur tale honorarium, quod in casum palmæ Affinia.

seu

seu victoriæ deportatæ â Cliente Advocato promittitur *l.1.§.12.ff.de Extraord cognit.* Unde & Advocati Victores dicuntur Palmares apud Cassiodorum, uti refert Jac. Gothofr. *de Salar. c.1.th.7.lit.E.* Hic quæri posset; an valeat pactum, in quo litigator promittit se daturum centum Advocato, si vinceret, palmarii nomine, si vero non obtineret, quinquaginta? quod affirmamus cum Gothofr. *de Salar. c.5.th.7.lit.B.* Farin. *in Praxi Crim. q.106.n.30.seqq.* Item: An palmarium in 100. aureis, de quibus supra & in *l.1.§.12.ff.de Extr:cogn.* intra quorum terminos se habet Salarium, simul computetur, uti id velle videtur *d. l.1. §. cit. &* Speculator *de Advoc. Salar. n.2.* an vero præter illos 100. aureos adhuc palmarium constitui possit? uti nonnulli volunt; quod distinguendo tam inter causas, quam ipsum palmarium cum Farinac. *d. l.* absolvimus. *Similiter*: An heredibus debeatur palmarium, quod defuncto in casum obtentæ victoriæ seu amicabilis compositionis promissum? quod cum Carpzovio *lib. 3. Resp.1.* negamus; Sed has & similes hac vice mittimus brevitati studentes. (2) Affine Salario Advocatorum est *Præmium*, per *l.ult.C.de stat. & imag. l. 4. pr. C. de Adv. divers. judic.* & quando præmia dicuntur, quæcunque Civibus pro meritis in Rempubl. dantur, ita ut dignitates & officia illis decreta inde insigniantur *d.l.ult.* (3) Est *Privilegium*, quando Advocatus â lege munerum personalium immunitatem habet *l.5.l.6.l.11.§.1.l.13.in fin.C.de Advoc. div.judicior.l.7.§ 5. C.de Adv.div.Iudic.* Vid. Tabor. *de Metat.p.3.sect.2.c.2.art.2.§.4. & passim.* item quando jus Castrensis peculii cõsequitur *l.4 l.8.C.eod.* Vid. Ummius *de Proc. Disp.2. th.10.n.47. &* 48. *Magnif. Dn. ProCanc.* Strauchius *Disp.Iustin.23.th.19.* An Salarium Advocati privilegio prælationis gaudeat? Vid. ap. Finckelthaus.

obs.

obs.98.n.7.seqq. (4) Affine Salario quoque est quod debetur Advocato cui certum Salarium est constitutum, loco expensarum in itinere non tantum pro ipsius persona, sed & pro ejus famulis & equis. Vid. Benius *de Privileg. ICtorum par. 3. th. 75.* Denique (5) affine est Salario quod datur pro suffragio, sive donum quod suffragatori, qui negotium superiori commendavit, & ex voto alteri impetravit, pro commẽdationis aut sollicitationis opera datur *l. un. C. de suffrag.* Quam verò latè suffragium differat à Salario videre est ex iis, quæ tradit Tabór *in Tr. de Suffrag. Peric. 1. §. 1. seqq, peric. 3. §. 2.*

§. 5. Ad Contraria denique Salarii Advocatorum progrediendum, seu quando id cessat nec debetur Advocato. Contingit verò id ipsum (1) *Intermissione operæ.* Equidem Salarium annuum Advocato debetur licet nihil omnino ab ipso gestum fuerit *l. 38. ff. Locat. l. 1. §. 13. ff. de Extr. cogn.* Sed quia hoc saltem locum habet, si per Advocatum non stetit per *dd. LL.* secus verò est, si negligentiâ & culpâ Advocati opera intermittatur, ubi non tantum Salarium nullum ipsi debetur, sed etiam ad interesse à parte conveniri potest, per *l. 13. C. Mand.* H. Pistor. *p. 1. qu. 36.* Carpz. *de Process. tit. 5. art. ult. n. 70.* Brunnem. *de Proc. cap. 1. n. 64.* (2) Salarium non debetur Advocato, si *imperitè* causam Clientis egerit, quia requiritur in eo Juris scientia *l. 11. §. 1. C. de Adv. 1. l. 2. C. de Postul.* Imo ipse de Jure Saxonico incidit in pœnam 5. vel 10. thalerorum, si causam ineptè tractet. Carpzov. *de Proc. tit. 5. art. 7.* Ad quam vero culpam præstandam teneatur Advocatus si causam negligenter vel ineptè agat, ex *l. 14. §. 1. C. de Judic.* quemadmodum ex Regulâ, quod utriusque hic versetur utilitas, colligitur, scilicet ad culpam tantum levem. Nam licet Medicus levissimam præstet *§. 7. Inst. ad leg. Aquil.* Contraria.

F est

est tamen ratio differentiæ ea, quod Medicus imperitè secando damnum det in corpus, adeoque actione legis Aquilæ directa teneatur, quod non potest dici de Advocato. Vid. Bachov. *ad pr. Inst. de obl. qua qs. ex del. in fin.*

§. 7. Eadem ratione Cliens Salarium Advocato præstare non tenetur, si hic (3) *non complete*, sed partim benè partim vero malè causam egerit. Nam quanquam supra *cap 3. th. 16. in fin.* ex Gutierrezio *de Tutel. & Cur. part. 3. c. 13. n. 6.* allegaverimus, quod proportionaliter Salarium debeatur, Si una causa ex pluribus, pro quibus Salarium statutum, obtenta fuit. Tamen hoc intelligēdum est in iis, quæ divisa sunt & pro parte præstita suam utilitatem habent. Secus vero est in individuis, ubi dolus vel negligentia unius temporis vel in una causâ nocet alteri tempori, vel aliis causis, ubi toto Salario privatur. *arg. l. 111. ff. de legat.* 1. Gutierez. *d. l. n. 7. & c. 14. n. 24. add.* Jacob. Gothofr. *de Salar. cap. 6. th. 4. lit. B. & C.*

§. 7. Multo minus [redacted] debetur Salarium si (4) *dolo* egerit Advocatus. Cum uti nemo ex dolo suo lucrum capere debet *per l. 12. ff. de dolo & l. 31. pr. ff. de Recept.* Ita nec Advocato, sicuti nec Tutori vel Curatori, vel Proxenetæ dolosè in negotio versanti honorarium debeatur *l. 35 ff. de Excusat. & l. 2 ff. de Proxenet.* Unde etiam fluit (5) idem obtinere, si Advocatus *sciens malam causam defendendam susceperit*, uti enim dolo hoc facit, ita & merito Salarium ipsi denegatur, imprimis cum & partibus insuper ad restitutionem damni & Interesse teneatur *arg. l. non est ignotum C. de adm. tut.* Gutierrez. 1. *pract. quæst. 29. n. 1. & Dd. commun.* Quamprimum enim cognoscit, causam injustam esse, â suscepta advocatione abstinere debet *lib. 12. §. 1. C. de Iudic. arg. lib. 2. §. Item quæritur si quis in fin ff. de Exc. doli* Vid. Umm. *disp 2. de Proc. th. 8. n. 43. & th. 10. n. ult.*

§. 8.

§ [illegible]c Salarium debetur Advocato (6) *Prævaricatori*, qui cum *Adversario* collusit; Uti enim extraordinariè officio Iudicis puniri solet *l.* 1. §. 1. *l.* 3. §. 2. *C. de Adv. div. Iud.* P. H. O. *art.* 115. & quoquè ab *Advocandi* munere repellitur *l.* 5. *ff de Prævar.* Quin & tenetur Clienti ad damna, expensas & Interesse Dd. *in l. si procurator C. de Procurat.* Ita multo magis salario mulctabitur. Vid. Carpz. *lib.* 3. *Resp.* 3. *& de Proc. tit.* 5. *art.* 7. Similiter (7) nihil acquirit *Advocatus Pacto de quota litis*. Cum enim tale pactum jure sit prohibitum, uti *supra c.* 3. §. 11. probatum, itaquè & id quod eo promittitur, subsistere nequit, sed pro irrito habetur *l.* 53. *ff. de pact. l.* 5 *ff. de postul.* maximè cum tales *Advocati* priventur advocationis officio juxta Farinac. *in Praxi Crim. q.* 106. *n.* 3. *seqq.* Petr. Theodor. *in Crim. Disp.* 3. *th.* 14. *lit.* I.

§. 9. *Paupertas* quoquè (8) obstat quo minus *Advocato* præstari debeat salarium. Pauperum enim caussam gratis suscipere tenetur *P.* 1. *Ord. Cam. tit.* 19. § *ult.* & in Conscientia peccare dicitur, si quid â paupere accipiat. Rol. à Vall. 2. *Consil.* 87. *n.* 28. Umm. Disp. *ad Process.* 2. *th.* 40. *n.* 46. Gothofr. *de Salar. c.* 5. *th.* 6. Interea tamen hinc inde publico *Salario Advocati Pauperum* sunt constituti uti supra *c.* 2. § 9. *ex* Wesenbec. *in parat. ad Tit. ff. de Postul. num.* 3. *& aliis* allegavi. Porro (9) *Salario* contrariatur, dum actioni pro *Salario* est *præscriptum* quod fit 30. annis quo de Vid. Balbum *de Præscript.* 4. *part.* 4. *pr. qu.* 4. Iac. Gothofr. *de Slar. cap. ult.* quemadmodum (10) si *hereticus* Advocationem præstat; Uti enim sub gravi pœna tùm hæretici, tùm Iudicis, tùm officii, seu ministri judicis postulare prohibetur, *l ult. C. de postul. l. ult. l. de Episc. aud.* Coll. Jur. *Arg. de Postul. n.* 14. Umm. *de Proc. disp.* 2. *th.* 4. *n.* 30. Ita etiam *Salarium* ipsi nullum de jure constitui vel præstari potest. Quod idem est (11) in aliis qui postulare

non

non possunt, ut in *milite*; Hic enim ignorat ju[illegible] ignorare permissum *l.ult.pr.C.de j.del.* Advocatus a. Juris esse peritus debet *l.2.C.de post.l.3.§.nec de Cat.4 C.de Adv.div. Iudic.l.nem. C.de Adv.* Umm.*de roc.Disp.2.th.6.n.32.* Itaq; sicuti nec Advocatus esse, ita neo Salarium Advocati habere potest. Reliqua quæ plura circa hæc contraria & totam materiam Salarii Advocatorum adduci poterant non tango, sed tempori inserviens mitto, veniam tam hujus, quàm etiam tumultuariæ quadantenus materiæ tractationis â B.L. sperans. Deo sit laus & Gloria.

* *

COROLLARIA.

1. *PRatores non habuerunt merum Imperium.*

2. *Sicuti nec Præsides jus deportandi.*

3. *Etiam Cicatricum datur æstimatio, contra l.7.ff.de his qui effud. vel dejec.*

4. *Formam libelli, ubi nulla specialis extat consuetudo, scripto constare necessarium non est.*

5. *Contra factum Parentũ liberis regulariter nulla competit restitutio, nequè de jure civili, nequè Saxonico.*

6. *Valet dispositio Patris testamentaria de feudo, non quidem de jure feudali, sed Saxonico.*

7. *Existente casu, quo duobus Collegis, uni tẽplo vel Parochiæ præstitutis, fixi reditus ob incendium, sterilitatem, incursum hostilem, vel alios casus fortuitos exsolvi non possunt, alter qui plura accidentalia habet, nullâ juris ratione, eadem cum Collega, ad sublevandam ejus inopiam, hoc petente, dividere tenetur, licet ille ad divisionem laborum quoquè paratus sit.*

8. *An Polygamia simultanea in V.T. contra jus naturæ fuerit necne? discursus manifestabit.*

F I N I S.